



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Christum hanc perfectionem fraternæ charitatis exemplo docuisse. Cap.
xxxv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

atam procurans. Istud oleum purissimum, quod lucernas templi Dei, scilicet iustos & sanctos, pascit, atque sustentat, computrescere faciet iugum ceruices laborantium premens; nam à muneribus, & sanctis occupationibus molestiam, & laborem depellet. Quæ enim iam computrescunt debilissima sunt, & nulla opera soluantur, & ab humero præiiciuntur. Sicut miles (vt simili Ambrosij vtat) qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore suscepta non metuit; vt seruus amans Dominum, non metuit naufragia liberorum charitate, ingreditur maris fluctus, subit incerta nauigij, sed metum discriminis leuât desideria filiorum: Ita quidem casto amore captus suæ dulcissimæ matris familiaris, scilicet religiosæ & suorum fratrum, eandem religiosam vitam sectantium; nec sentit labores, nec aduertit difficultates, nec metuit pericula, vt matrem iuuet, & fratrum sanctos labores promoueat, nihil non suauis, & facile experitur, modo aliis fructuosus inueniatur. Huiusmodi oleum, aut potius pretiosum vnguentum, non in aliquam partem corporis Christi mittendum est, sed toti corpori referuandum. Contritio, & peccatorum gratia effusa lacrymæ, pedes Christi lauent; gratitudo, & beneficiorum commemoratio manus Christi detergat; contemplatio diuinorum Christi venerabile caput inungat: sed fraternæ charitas omnia eius membra leniat, & foueat, quia omnibus tam amicis quàm inimicis est impendenda. Tu quoque (inquit Bernardus) si induas viscera misericordiae, liberalem; benignumque te exhibeas, non tantum parentibus, siue cognatis tuis, aut quos tibi, vel benefactores tenes, vel benefacturos speras, nam & Ethnici hoc faciunt; sed iuxta Pauli consilium studeas operari bonum ad omnes, ita vt, propter Deum, nec inimico officium humanitatis corporale, seu spirituale negandum, subtrahendumque existimes. Constat te quoque abundare vnguentis optimis, nec caput, aut pedes Domini tantum, sed passim quantum in te est vngere suscepisse totum corpus, quod est Ecclesia. Et fortè proinde ob hoc Dominus Iesus paratam sibi consecutionem expèdi noluit in suo corpore mortuo, vt seruaret vivo.] Constat ego dilectionem fraternam partem perfectionis esse, quæ viuens legem continet, nos dulcissimo nexu, vt eiusdem corporis membra, deuincit, viles, & robustos ad laborandum efficit, & eas dignitates continet, quæ in solam perfectionem quadrare possunt. Constat etiam, quas ob causas Saluator noster Christus de ea tam præcipuum mandatum tulit, vt diceret: Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Dicamus nos vicissim illi: Fauus distillans labia tua Domine, mel & lac sub lingua tua.] Mel, quia charitas dulcius sapit; & lac, quia omnis puritatis & sanctitatis est comes. Da bone Iesu, vt quod mandas, corde intelligamus; quod præcipis, opere faciamus; quod exemplo doces, imitemur, quatenus charitatis sanctæ sectatores effecti, & digni imitatores tui efficiamur, & ipsam vitæ perfectionem, quam quærimus, tandem consecremur.

Christum hanc perfectionem fraternæ charitatis exemplo docuisse.

C A P. XXXV.

A V C V S Q V E causas exposuimus, & fortassis latius & prolixius, quàm par erat, ob quas Dominus præceptum charitatis fraternæ suum præceptum appellauit, vt videlicet eam, aut perfectionem, aut perfectionis partem vocaret, ac vt compendium esse rotius legis ostenderet. Nunc meditemur id, quod sine vlla hesitatione vtilissimum iudicamus, quo nimirum pacto ipse Dominus hanc perfectionis partem opere & exemplo monstrauerit. Neque enim seipsum præceptorem tantummodo ac legislatorem obtulit, dicens: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.] Sed etiam exemplar perfectionis exhibuit, dum adiecit; sicut ego dilexi vos.] Sed quis, aut mente concipere, aut verbis explicare sufficere amorem Christi, & rationem ac viam, qua ipse dilexit nos? Cælestes spiritus, dum hunc sanctissimum amorem inspicunt, vehementer stupent, & admirantur, silent, tremunt, elingues sunt, & si quid loqui audent, in eius expressione balbutiunt. Quid faciemus nos homunciones vilissimi, non solum ignorantes, & cæci: verum etiam vitiosi, ac peccatis imbuti? Quam ratione audebimus ad hunc amorem purissimum oculos leuare, carneam linguam mouere, calamum spiritus vitæ carentem versare, & latentem in corde Saluatoris ignem, verbis imperitis exprimere? Si nondum (vt dicitur in libro Iob) ingressi sumus thesauros niuis,] quo pacto ingrediemur thesauros amoris? Si cor nostrum, quod est, vt thesaurus niuis, plenum frigiditatis & gelu, est nobis prauum, & inextinguibile; quomodo sanctissimum Christi cor, vtrique thesaurus inextinguibilis ignis, plenum ardoris, suauitatis, atque dulcedinis, erit nobis apertum, ac penetrabile? Quomodo de amore loquetur (inquit magnus contemplator Richardus) homo, qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempe copiosa in libris occurrit materia; huius verò, aut tota intus est, aut nusquam est; quia non ab exterioribus ad interiora suauitatis suæ secreta transponit, sed ab interioribus ad exteriora transmittit. Solus perinde de ea dignè loquitur, qui, secundum quod cor dicta, verba componit.] Erubescamus igitur de amore loqui, qui amatores non sumus, amoris verba profundere, qui amare numquam bene didicimus. Pudeat nos in sanctissimum Christi amorem insolenter irrumperere, & caput ipsum Angelis tremendum osculari, qui numquam secus pedes eius procubuimus, vt pro innumeris peccatis, & flagitiis nostris, vt opere pretium fuisset, lacrymas funderemus. At pudor, & erubescencia ista non faciat nos omnino silere, sed cum timore & circumspectione loqui, vt sic præceptum opus persequamur; attentè persequemur, quomodo Christus dilexit nos, & ex ipso discamus, quam ratione debeamus cunctos homines, tam amicos, quàm inimicos diligere, nam amoris eius imitatores effecti, & proximos, sicut nos ipsos diligimus, & hanc perfectionis partem, quæ in fratrum amore consistit, absque dubio consequemur.

B Christus igitur, summa & prima veritas, dilexit nos verè, quia non dilexit nostra, sed nos, & si dilexit nostra, non nos propter illa, sed illa propter nos. Deus noster est quoniam bonorum nostrorum non eger.] Quare amore, quo nos amabat, non quærebat fortunas nostras, quia sic pauperes non admisisset, non scientias nostras, quia sic stultos & ignorantès non respexisset, nec decorem nostrum, quia sic turpes & deformes non statuisset, nec famam, aut opinionem nostram, quia sic viles & despectos non dilexisset: sed dilexit nos ipsos, & tamquam pijsima mater in sinum nos suæ dilectionis collegit.

*Ambrosius
Epsal. 118.
ser. 9.*

*Bernardus
ser. 22. in cæli.*

*Ioan. 15.
Cant. 4.*

Ioan. 15.

Iob. 38.

*Richardus
de gradibus char.
c. 1.*

Psal. 15.

Ezech.
14.
Luc. 15.

Quia verò nos pauperes sumus, & egeni, stulti, & ignorantes, deformes, & insuaves, viles, atque despecti, ipse tales amavit, ut caelestibus diuitiis ditaret, diuino lumine cumularet, & perpetua gloria, ac decore completeret. Quæsiuit bonus pastor non lanam, & lac, & pelles ouium suarum, sicut pastores Israël, de quibus dictum est: Lac comedebatis; & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, sed nos ipsos oues perditas, & despectas quæsiuit, & nimia quadam charitate dilexit. Inuentam ouem perditam latissimus imposuit super humeros suos, tulit eam exultans, & gaudens, ut ad caulas reduceret, & in gregem ouium quæ nunquam perierunt, hoc est, in cœtum Angelorum inferret. Ita & nos debemus amare fratres nostros, non fictè, sed verè eos ipsos amantes, non verò sua quærentes, nec propter aliquod cōmodum ineptè diligentes. Non sumus ex illis re vera imperfectis hominibus, qui non fratrem, sed res fratris amant. Amant nobilitatem, fortunas, literas, ingenij felicitatem, & (quod valdè pudet dicere) vocis suauitatem, iuuentutis florem, & vultus decorem, non tamen sciunt animam diligere, nec Dei imaginem; ac similitudinem illi impressam amare. Hinc in domo Dei, in familia scilicet religiosa, nimia familiaritates, vanæ necessitudines, perniciose amicitie ortu habuerunt. Hinc distractiones, detractiones, & inutilia colloquia, promanarunt, quibus pretiosissimum tēpus sanctæ meditationi, vili lectiōni, & profectibus proximorum surripitur, & in rebus inutilibus, & vanis consumitur. Hinc laudationes ineptæ eorum, quos amamus, proficiscuntur, & illos multis donis præditos fingimus, ad munera & dignitates idoneos iactamus, & viros prudentes, graues, & spirituales comminiscimur, quibus amplificationibus, vel (ut verius dicam) fictionibus, ac mendaciis, Prælatos ac Superiores decipimus. Hinc præfationes dignitatum, ac prælationum, quas interdum non nobis, sed amicis nostris ambimus; & quia eos mundano amore diligimus, nihil aliud eis quàm carnem, & sanguinem, id est, sæcularem splendorem, & mundanam felicitatem operamus. Hinc similitates, & inimicitie cum aliis, qui eos non amant, aut honoribus non prosequuntur, quos nos amamus, atque suspicimus. Hinc denique (quod est valdè ridiculum) animi mutabilitas, ac inconstantia procedit; nam quos heri dileximus, & laudibus in cælum extulimus, hodie auersamur, & vituperamus; quia ab illis res illæ defluerunt, quæ nos ad amorem acuebant, & ad diligendum fratrem incitabant. Nam si amabas diuitias, si ingenij felicitatem, si decorem vultus, aut ætatem occasione iuuentutis amabilem diligebas, statim atque aliqua euenerit istarum rerum mutatio, amorem desereres, & amicum contemnes. Sicut enim combustis lignis, quæ ignem alebant, & alia materia non superadiecta, ignis licet magnus, extinguitur; ita sublati his vilissimis amoris causis, quibus ipse initebatur, amor simul cum illis inconstanter dilabitur. Christi ergo amor cum verus fuerit, non fictum, & simularum, sed verum, ac solidum amorem nos docuit, quo non res fratris, sed fratrem diligimus; quem non rebus abiectis ac instabilibus; sed Dei imaginem mentibus proximorum impressè subnixum retinemus. Hunc, qui habuerit, eadem facilitate ad vocem illiterati, atque ad clamorem literati, & sapientis, eadem lætitia ad subleuandam necessitatem miseræ Æthiopis, aut barbari Peruiani, atque ad iussum regis accurret; quoniam inter insipientem & sapientem, inter Æthiopem & regem aspiciet quidem, aut donorum, aut statuum differentiam, nullam tamen inueniet imaginis diuinæ distantiam.

A Sed amor verus etiam efficax est, quare Christus nos verè amans efficaciter quoque dilexit. Habuit erga nos internum voluntatis affectum, quem externis operibus amoris ostendit. Ipse est, qui pertransiit inter nos benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam virtus Dei erat in illo. Ipse est qui cecos illuminauit, surdos excitauit, ægros curauit, mortuos ad vitam reuocauit, & (quod amplius est) animas, peccati, & dæmonis potestati subiectas, in libertatem asseruit, & à laqueis, quibus tenebantur, eripuit. Quare interrogatus à Ioannis discipulis, an ipse esset mundi Saluator, non tam verbis, quàm factis respondit, non tam rationibus, quàm operibus, se esse hominum liberatorem, & amatorem comprobauit. Euntes (inquit) renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Hæc autem Christi opera, licet magna essent, ac mirabilia, tamen non potuerunt ad eam dignitatem pertinere, ut omnino vim præstantissimi eius amoris ostenderent. Amor enim Verbi diuini Deus est; quia nihil est in Deo, quod Deus non sit; & amor creatæ voluntatis Christi infinitus est: quomodo ergo opera, etsi eximia, & præstantissima, tamen finita, omnino diuinam Christi charitatem patefacerent, aut infinitam suæ creatæ voluntatis dilectionem declararent? Modica scintilla ignem quidem detegit, non tamen penitus manifestat, & detegit, quoniam ipsa exigua est, ignis verò magnus esse potest; Ita opera Saluatoris, ac in nos beneficia collata, admirabilis amoris eius scintilla sunt, quæ ipsum quodammodo patefaciunt, non tamen omnino virtutem, ac potestatem tanti amoris ostendunt. Quod si hic amor operibus ac beneficiis ostensus tum eximius apparet, quantus putas, o anima mea, erit in sphaera sua, in corde scilicet Domini, in quo non per effectus elucet, sed per seipsum requiescit? Certè mirabilis factus est ex me, exaltatus est, & non potero ad eum. Sic ergo & nos diligamus fratres nostros, sit ad perfectionem aspiramus, ut nempe amor noster sit efficax, & è latebris cordis erumpens, se operibus, & beneficiis ostendet. Vidi quosdam delicatos fratrum amatores; ita sui amoris auaros, ita beneficentia parcōs, ita suorum bonorum tenaces, ut nec sciant os ad instructionem ignorantium aperire, nec manus ad auxilium laborantis exerere, nec pedes ad ægroti solatium mouere, nec seipso ad aliquod opus laboriosum comparare. Hi esse solent in religiosa domo tamquam simulachra muta, & otiosa, quippe qui ad omnia pietatis opera torpent, & solum in inutilibus occupationibus & propriis commoditatibus feruent. Qui profectò parum absunt ab amore simulato, qui in ore, non in corde, nec in opere est, & longè distat ab amore Christi, non verbo, nec lingua tantum, sed factis, sed signis, sed miraculis, sed laboribus demonstrato. Imò (ut verum fatear, & Augustini sententiam teneam) non solum procul absunt ab amore efficaci Christi, sed quàm longissimè distant à corde Christiano. Nam si fratri necessitatem patienti non subuenis, (inquit ille) quomodo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes: si autem nomen sequutum fuerit opus, dicat te quisquam paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non inuenitur? Ut ergo simus Christi sectatores, & charitatis perfectionem assequamur, amoris veritas operum efficacia nobis declaranda est, quæ semper proficiens, & à minoribus ad maiora & vtiliora con-

Mat. 10.

Mat. 12.

Psal. 38.

Aug. tra.
5. in 1.
Ioan.

scendens,

scendens, nos in spiritu promouebit, & in dies pu- riores ac perfectiores efficiet.

Amoris autem efficacia circumspeditionem requi- rit, ne indifcreto feruore raptati, minora, quia splen- didiora sunt, maioribus & potioribus preponamus. Quam Christus sapientia Patris, qui attingit a fine, utque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, diligenter, & exquisitè seruauit. Quomodo ille di- lexit nos? Certè non solum verè & efficaciter, sed etiam circumspectè dilexit: dum maiora minoribus, & vtiliora minus vtilibus anteposuit; Animam cor- pori; bona spiritualia, bonis temporalibus, salutem semper duraturam salutì peritura, præferre non destitit. Vera bona, gratiam, virtutum decorem, & opera rationi consona nobis impertit: Vera mala, vi- tia & peccata, & Dei inimicitiam, à nobis arceat; & media eatenus confert, aut tollit; quatenus vero bo- no proficiunt, aut veri boni possessionem impediunt. Ideo, quem diligit Dominus corripit, castigat autem omnem filium, quem recipit. Ideo quem amat, arguit & castigat. Ideo magnis donis præditum, inter- dum doloribus, & ægritudinibus onerat, & incre- pat per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marce- scere facit, vt auertat eum ab iis, quæ facit, & libe- rit eum à superbia. Ideo adolescentem rapit, ne ma- litia mutet intellectum eius, aut ne fictio decipiat animam illius. Inspicientes verò & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia, putant eum aut suo- rum oblitum, aut certè nõ tam impensè amare illos, quos tantis malis afficit, & tantis doloribus & angu- stibus affligit. Sed miseri non aduertunt quòd Christus circumspectè iustos amat, & minora bona, aut quæ bona non sunt magnis iustorum bonis, scilicet æter- næ salutis meritis cautè postponit. Enitatur etiam hanc sancti amoris proprietatem assequi, & fratres circumspectè diligere. Quam re vera circumspectio- nem illi non habent, qui ita diligunt fratres suos, aut amicos (vt ipsi vocant) vt eorum honoribus, quæ non tam bonas, quàm media sunt, magnam rationem ha- beant, & illa cum viri boni, scilicet virtutis iactura, aut cum viri mali, nimirum peccati, vel imperfectio- nis admissione coëmant. Tales sunt, qui nihil aliud curant, nisi vt amicus corpore valeat, bonam opinio- nem apud alios acquirat, & ad honorè aliquem, aut dignitatem ascendat, licet aut salutem spirituale, aut perfectionem derelinquat. Ex hoc amore, ò bone Deus, quanta mala procedunt! Ex eo prodeunt ine- pta consilia, perfectioni, & spirituali prudentiæ con- traria, quibus nonnulli religiosi aliis sibi charis sua- dent, vt onera obedientiæ detrectent, si vel tantillum propriæ commodati aut vanæ existimationi apud seculares officiant: vt defectus, aut crimina admif- sa Prælati abscondant, & ab alijs, qui spiritualem artem medendi non habent, remedium postulent, ne bonam opinionem (vt ipsi dicunt) apud Prælatus amittant, vt talentum, exempli gratia, scribendi, aut laborandi, aut aliquod munus gerendi ce- lent, ne cura & labore grauentur. Hi non amatores, sed oso- res; non amici, sed hostes, suorum amicorum appel- landi sunt. Similia enim consilia alijs fratribus præ- bent, iis quæ Ionadab filius Semmaa Amnon offerre non timuit, vt scilicet ægritudinem simularet, & Thamar sororem suam turpiter, & violenter oppri- meret, aut iis quibus Achitophel Absalonem ad par- ricidium animauit, & ad patrem regni inuasionem allexit. Ita hi putant se bona, & vtilia amicis suade- re, & nihil aliud, quàm illis mortem, & statui reli- gioso perniciem, & Prælati tristitiam suadent. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, quoniam ex eo non spi-

Sap. 3.

Prom. 3. Apoc. 3. Job. 33.

Sapient. 4.

2. Reg. 13. 2. Reg. 17.

Genes. 49.

A ritualem profectum, nõ perfectionis desiderium, sed innumerabiles defectus, & miserabiles casus eliciet. Imitetur igitur circumspeditionem, & prouidum Saluatoris amorem, cuius magisterio docta, & doctrina perfectionis imbuta, sciet in fratribus vera bona amare, & virtutes solidas, atque perfectas illis cupe- re, & ad ipsarum adeptiõnem iuuare; & tandem di- scet minimam veræ virtutis particulam, omnibus fallacibus huius sæculi bonis anteferre.

At amor tunc perfectè circumspectus est, cum & spiritualis est; quia tunc seic carnem transcurrere, & quæ sædate nos solent, transuolare. Quare Domi- nus, qui non tantum perfectè amauit, sed & perfe- ctissimum magistrum se sancti amoris exhibuit, ama- uit homines circumspectè, amauit & spiritualiter. De ipso quippe scriptum est: Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus in vmbra tua viuemus in gentibus. Qui cum spiritus oris nostri, id est, vita vitæ nostræ sit, exem- plo suo docuit nos spiritum, & vitam in omnibus quarere, spiritualiter amare, & in amore nostro in- genium carnis, & sanguinis fugere. O quàm longè fuit ab illo amor, subiectus carni, & sanguini! Ideo dicenti sibi: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te, respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Ac discipulos suos digito osten- dens, adiecit, Quicumque fecerit voluntatem Pa- tris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Ac Ioanni dilecto discipulo, & secun- dum naturam magis amabili Petrum anteposit, & principatum Ecclesiæ concessit, quia ita Ecclesiæ vti- litas exigebat, & verus, ac spiritualis amor postula- bat: Et magis dilectos acrius corripuit, & vehemen- tius obiurgauit. Vnde dilectissimum sibi Petrum Ec- clesiæ caput, ipsi quæ feruentissimè diligentem, ita data occasione compescuit: Vade post me Satana, scandalum es mihi, non enim lapis, quæ Dei sunt. Ac tandem quos magis diligit, maioribus laboribus subdit, & terribilioribus pœnis patiendis exponit. Quamobrem animam matris Mariæ in immensum super omnes creaturas magis dilectæ, perpetuus pas- sionis gladius pertransiuit, ac iugis afflictionis me- moria penetrauit, quæ ita vulnerata fuit, vt dicat: Venite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Omnes etiam iustos, non consolationibus, sed per- secutionibus iustitiæ causa perpessis beatos, & feli- ces reddit. Quod non alia ratione facit, nisi quia ho- mines spiritualiter amat, bona nostri spiritus querit, & ea cum opus est etiam corporis labore & afflictio- ne coëmit. Sic & nos sumus fratres amaturi. Nam si cum Paulo dicere nitimur: Et si nouimus Christum, secundum carnem, sed nunc iam non nouimus; idem de fratribus nostris dicamus. Licet enim ali- quando nouimus, & dileximus eos secundum car- nem; at iam non secundum carnem, sed secundum spiritum, eos & agnosceimus & amamus. Spirituali- ter autem diligimus, si transcursum corporibus, ani- mas Dei imagines inspexerimus, eas purissimo amo- re diligere assueuerimus, bona sempiterna, & spiri- tualia eis cupiuerimus, & quicquid ad hęc mundum pertinet ea dumtaxat ratione illis voluerimus, quæ- nus spiritualia bona prouehit, & ad ea, aut assequen- da, aut promouenda conducit. Hic amor, non præ- sentiæ corporali subnititur, non manusculis fulci- tur, non à vanis & ineptis colloquijs pender, sed in Dei amore, & in spirituali profectu fundatur. Est in eo mens pura, conscientia manda, intentio recta, conuersatio sancta, lingua moderata; in quo nec vo- luptas queritur, nec lucrum, aut commodum prop- rium amatur, nec aliquid, aut indecens, aut imper-

Thren. 4.

Mat. 12.

Mat. 16.

Thren. 1.

2. Cor. 5.

fectum,

fectum, aut scrupulosum inuenitur. Qui ita proximum diligit dilectione spirituali, dilectione pura, & illibata, illud profectò consequitur, vt in charitate fraterna perfectus sit, vt diligit fratrem sicut seipsum, & imitetur illum, qui dixit: Diligite inuicem, sicut ego dilexi vos.]

De eodem exemplo Christi, quo hanc perfectionem docuit.

C A P. XXXVI.



Ephes. 3.

Amb. ibi.

Rom. 11.

Ioan. 15.

Rom. 4.
Rom. 11.

CONSIDERATIO amoris Christi Saluatoris erga nos, utilis admodum est, nec potest, licet summam, & cursum pertractata, aut paucis verbis exprimi, aut breui, & cõciso sermone declarari. Quare Paulus flebat genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis, & in terra nominatur, vt det nobis scire supereminentem scientiam charitatem Christi.] Quare ita supereminet scientia nostra, ac omni humane, atque Angelicæ cognitioni, vt eam omnino comprehendere sit impossibile; cum gratia verò Dei apprehendere, & aliquatenus cognoscere vtilissimum & præstantissimum videatur. Quis enim potest colligere (vt Ambrosij verba subiiciamus) mysterij huius charitatis rationem, vt & Deus hominis causa homo nasceretur, deinde moreretur pro hominibus, pro seruis Dominus, pro creatura Creator, pro impijs pius? Propter quid ita dilexit nos? Aut, vt quid nostrum haberet, qui nullius indiget? Numquid non charitas hæc super scientiam hominum est? Si hæc ita sunt, non timeamus hoc immensum amoris pelagus amplius ingredi, certi quòd considerationis nostræ nauicula numquam præ defectu aquæ, Syrtibus, aut scopulis illidetur; sed potiùs tamquam in amplissimo & profundissimo mari, cuius nec inuenitur initium, nec finis, huc illuc, aut a fidei & humilitatis impulsa, secunda iactabitur.

Inquiramus ergo adhuc, quomodo Christus dilexit nos, vt & nos, qui charitatis perfectionem querimus, ex eo amicos, & inimicos amare discamus. Dilexit nos ipse, qui sponsus animarum sanctarum est, sponte, & gratuito. Neque enim merita nostra, aut obsequia nostra præuenerunt eum, vt nos amaret, sed ante omne meritum, ante omne obsequium nos ipse dilexit. Quare Paulus: Quis prior dedit illi, & retribuatur ei? Clamemus in auribus omnium creaturarum; efferamus vocem in auribus omnium hominum, & Angelorum, & Christi præcones effecti, dicamus; Quis prior dedit illi? Exeat in publicum, loquatur, conqueratur, petat debitum suum, vt à Domino retribuatur ei. Et manifestum erit, quia nullus affurget, nullus exibat, nullus os suum ad aliquid postulandum aperiet: nemo quippe tã cecus, aut ignorans est, qui non audiuerit nos non elegisse eum, sed potiùs ipsum elegisse nos, vt eamus & fructum afferamus, & fructus noster maneat. Amor Domini non inuenit, quod amaret in nobis, sed ipse misericorditer fecit, quod in nobis amaret; & diligendo, nos suo amore dignos effecit. Non inuenit quidem, quod in nobis amaret, imò multa reperit, quæ in nobis detestaretur, abominaretur, & odiret. Omnes originali peccato (vna Virgine excepta, quam ab omni labe seruasse excellentius beneficium fuit,) sordidos inuenit: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei,] & conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. Vniuersos etiam multis

A flagitijs aut peccatis propria voluntate commissis infectos reperit. Homines inimicos, hostes, & persecutores deprehendit, qui in propria venientem non receperunt. At nos non contempsit, non odio habuit, sed vsque ad acerbissimam mortem dilexit. Et ideo commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.] Inimicos inuenit nos, & ingratisimos futuros esse cognouit; & tamen neque peccatis laesus, neque vitijs offensus, neque ingratitude violatus, nos ipse contempsit, sed amauit, sed fouit, sed amplexatus est, vt sciamus, quia non vtilitatis alicuius gratia, sed gratis sponteque dilexit. Et hic ostendat se nobis fortissimus Nazareus, qui feminam alienigenam adamauit, naturam scilicet humanam, peccatis vitijque fœdatam, & eam à patre in uxorem poposcit, dicens: Hanc mihi accipe.] Non ob aliam causam profectò, nisi quia placuit oculis meis.] Meretrix (inquit Augustinus) quam Samson in coniugium sumit, Ecclesia est, quæ ante agnitionem vnius Dei, cum idolis fornicata fuit, quam postea sibi Christus adiunxit. Postquam ab eo illuminata, fidem suscepit, etiam hoc meruit, vt per eum salutis sacramenta cognosceret, & ab eodem reuelarentur ei mysteria celestium secretorum.] Amor ergo Christi erga nos, non ex meritis nostris, sed ex sua bonitate manauit; non ex humana pulchritudine, sed ex diuina misericordia prodiiit. Vbi sunt, qui se Christi imitatores vocant, qui de perfectionis salutem desiderio, & de vita religiosa se iactant, si necdum gratis amare nouerunt? O quam multi sunt, non dico ex sæcularibus, sed etiam ex his, qui nuncium mundo miserunt, qui eos tantum amare sciunt, à quibus, aut donum aliquod perceperunt, aut beneficium nouum sperant! Amant Prælatos, adulantur eis, & sæpè non ad veritatem, sed ad voluntatem loquuntur, vt commoditatem, aut dignitatem accipiant. Amant maiores, vt apud Prælatos eos laudent, & pro eis intercedant. Amant æquales, vel minores, aut amare se simulant, ne illos vituperent, ne verbo, vel facto damnatum aliquod inferant, ne assequutionem quoquomodo desideratorum impediatur. Hoc modo Christus in suis membris amatus, amantibus non sine indignatione dicit: Amen dico vobis, queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.] Non enim signis amoris eius illecti, & imitationis Christi, aut desiderio perfectionis inuitati, sed proprijs commodis, ac lucris commoti, membra Christi amant; & ideo non ex charitate amant, sed sibiipsis, & sæculi desiderijs inserviunt. Quo in illud pessimum vitium incurrunter ab Augustino grauiter reprehensum, quo purissimam fratrum dilectionem, non in suum finem dirigunt, qui Deus est, sed ad noxia, & vana detorquent. Nam si vel ipsum hominem (inquit) homo dilexerit, non tamquam seipsum, sed tamquam iumentum, aut balneas, aut auiculam pictam, aut garrulam, id est, vt ex eo aliquid temporalis voluptatis, aut commodi capiat; seruiat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam fædo & detestabili vitio, quo non amat hominem, sicut homo amandus est.] Amemus ergo gratis, nihil à proximis nostris ex amore requirentes, sed perfectionis adeptionem, ac æternum præmium expectantes.

Amor autem gratis exhibitus ab aliquo forrassis, non magni reputaretur, si non sibi utilis esset, atque proficus. Quare Dominus, vt suum amorem magni penderemus, & summum bonum nostrum, sicut re vera est, ac omnium bonorum fontem reputaremus, dilexit nos non solum gratuito, sed etiam vi-

Rom. 5.

Iudic. 14.
Aug. ser.
107. de
tempore.

Ioan. 6.

Aug. lib.
de vera
religione.
c. 46.

liter,